

42

בשׁט וַיֹּוֹת

42,

DISPUTATIO METAPHYSICA  
Prior  
Καταγενεσική<sup>ν</sup>  
De  
**ENTERATI-**  
**ONIS RATIOCINANTIS.**

*QVAM*  
ATHENIS LEUCOREIS  
*publ. a sv. Cet subjiciunt*  
P R A E S E S  
**M. GERHARDUS WICHMAN**

Lubecensis.

*Et*

**RESPONDENS**

**CHRISTIANUS SCHMIDT,**

Haynå Misnicus.

*Die XXII. Januarij.*

*in Audit. Minorit.*

---

VVITTE BERG AE,

Prælo Johannis Haken, M. D. C. L. X.



## Præloquium.

Ulm ens rationis ratiocinantis per proportionem quandam ad ens reale ac positivum ens dicatur, & ad similitudinem essentia entis realis, enti rationis ratiocinantis entitas aliqua adscribatur. Exinde ratio tota entis rationis ratiocinantis in aquivoce ac impropria effendi ratione fundatur. Atque hinc modum essendi sequitur modus cognoscendi ac considerandi, sicuti enim unū quodque ens est, ita cognoscitur ab intellectu, at ens rationis ratiocinantis non per se ac vere entitatem habere dicitur, sed per proportionem ad ens reale, cui idealiter assimilatur, ergo neque per se directè in Metaphysica consideratur, sed indirecte per accidens ac reductive huc spectat, cū propter parentiam ac defectum entitatis sub objecto Metaphysica quod ens reale ac positivum est, non comprehendatur. De hoc ente rationis ratiocinantis, seu ficto vel (ut scholastici loquuntur) chimærico paucis in presentiarum acturi sumus. *DEUS NOBIS ADSIT.*

## PRÓBLEMA PRIMUM

*Datur Ens rationis Ratiocinantis.*

Ens rationis ratiocinantis dari inter alios negant. *Vallesius Durandus, & Paulus Venetus reference Roderico de Arriaga in cursu Philos. Dis. 6 Metaph: de ente rationis sc̄t. 2. p. 132* & Scheiblero in oper Metaph. cap. 27. de ente rationis: tit. 3. p. 40. quibus suum quodque adscicit calculum *Johannes Caramuel* qui in disputacione *diaconieationis* peculiariter à nobis erit refutandus. Qui negant dari ens rationis ratiocinantis, his sententiam suam robare ratiunculis allaborant. Ens rationis alij inquirunt, vocatur,

A 2.

quia

quia à ratione nostra apprehenditur, ergo hac ratione in ratione  
& intellectu erit. Verum rō esse in intellectu, est proprietas realis,  
dicens verā in hærentiā, talis a. in hærentia, nō enti ficto, sed ve-  
ro competit, qua propter non dabitur ullum ens fictum seu ens  
rationis ratiocinantis. Alij exinde ens rationis ratiocinantis dari  
negant quia omnia illa prædicata, quæ de eodem efferruntur, op-  
timè de rebus ipsis intelligi atq; in ijsdē defendi possunt. Alij deni-  
que hoc ratiocinio infraucti accedunt, quia ens rationis ratioci-  
nantis communem inferat conceptum, cum ente reali ac positi-  
vo, eundemque non purè æquivocum, sed verum realem ac  
proprium properea nullum dabitur ens rationis ratiocinantis si  
ve Chimæricum. Verum rationes illas stramineas & non satis pre-  
gnantes esse facile videtur: Cum nec omne, quod est in intellec-  
tu realiter ipsi insit, nec omnia quæ de ente rationis ratiocinan-  
tis dicuntur in rebus ipsis fundentur, nec ens rationis fictum, ve-  
rum entitatis conceptum inferat cum ente reali ac positivo, sed  
potius æquivocum ac imprópium. Nos omnino statuimus dari  
ens rationis ratiocinantis seu chimæricū illudque temere nega-  
re, quod sana ratio & experientia dictitant, nefas esse ducimus.  
Multi a quippe sibi imaginatur ac concipit noster intellectus per-  
fectione ac fœcunditate ideas varias producendi predictus, quæ  
præter illam fictionem mentis extra intellectum nihil reale obti-  
nent, neque veræ ac realis existentia capaciæ sunt, aut esse  
possunt & illa ipsa hoc modo concepta in re non sunt, adeoque  
fundamento essendi extra intellectum sub formalitate & sub qua  
concipiuntur carent, sed sunt tantum in apprehensione mentis.  
Fingit namque intellectus multa quæ impossibilia plane sunt mo-  
do entium possibilium, & multa quæ sunt possibilia concipit mo-  
do entium actu existentium. Poteſt intellectus ex entibus veris fi-  
cta producere: Cum videlicet hinc inde ē natura partes affinitatis,  
easdemque contra naturę cursum idealiter ac repræsentatiue  
disponit, dispositas verò unit atque identificat, tum haec ratio  
ens rationis ratiocinantis seu chimæricum producit. Ita in tel-  
lectus Pegasus concipiens atque conficiens ex naturā desumit  
primo equum quem in naturā existentem deprehendit, postea

alas,

alas, quas etiam in naturā vel in anseribus, vel gallinis reperit,  
arripit, hæc duo entia disponit, unit accidenti fitat, atque hac  
ratione unum aliquid ex his singit ac producit suppositum, quod  
Pegasum seu equum alatum nuncupat, cuius quidem partes in na-  
tura à parte rei existunt, verum nullatenus quatenus in unione  
illâ spectantur, quando igitur in intellectus equum & alas componit,  
tum hæc ratione efformat ens rationis ratiocinantis seu pla-  
nè fictum, quod in re quoad esse unitum ac compositum nullum  
habet fundamentum, sed unicè à negotiatio[n]e ac fictione intel-  
lectu ratiocinantis depender. Atque hinc ens ratiocinantis seuchi-  
mæricum dari ὅπ[er] αλμ[η] παρεπ[ε]τι patet. Verum enim verò quan-  
do afferimus dari ens rationis ratiocinantis, illud hoc modo in-  
tellectum non volumus ac si ens rationis ratiocinantis actu à parte  
rei secundum veram ac realem existentiam extrâ intellectum  
detur, illud quippe implicaret contradictionem, esse ens rationis  
ratiocinantis, hoc est fictum tantum à ratione mere conci-  
piente, & tamen à parte rei dari secundum veram existentiam,  
sed hoc modo dicimus dari ens rationis ratiocinantis scilicet  
quoad esse illud imaginarium ac fictitum quod habet à ratione  
ratiocinante hoc est, volumus intellectum nostrum posse pro-  
ducere imò actu fingere talem formalitatem objectivam in na-  
tura & re ipsa nullibi fundatam.

### PROBLEMA SECUNDUM.

*Ens Rationis Ratiocinantis est, quod habet esse  
in intellectu tantum modo objectivum.*

Ens rationis ratiocinantis ens dicitur, non quatenus terminus  
entis verè propriæ ac in rigore Metaphysico supponitur, sed  
prout terminus entis impropriæ atque aqui vocè accipitur, ens è-  
num rationis ratiocinantis præter nomen nihil habet communem  
cum ente reali. Rem per nomen entis significatam non pos-  
sideret, nam ipsum esse, à quo ens dictum est, non potest intrin-  
sece participari ab ente rationis ratiocinantis, cum objective in  
ratione esse, non sit verè esse, sed fingi ac cogitari sub formalitate  
& esse. Vocatur ergo ens per nudam analogiam propor-  
tionis cum equivocatione ac impropriate essendi conjunctam.

Communis namque entis descriptio ipsi non competit, quia dicitur, ens est quod habet essentiam, cum ens rationis ratiocinantis; quatenus talē, nullo modo habeat essentiam, tantum igitur abest, ut ens rationis ratiocinantis verē ac propriè ens dici possit, ut potius non ens aliquod nuncupandum sit, quoniam ens & non ens primam important contradictionem & ~~aut~~ <sup>aut</sup> ~~ne~~ sibi in vicem opponuntur. Imō si ~~axe~~ <sup>axi</sup> ~~o~~ loqui velimus, ipsum ens rationis ratiocinantis in se, ac per se ne quidem proportionem aliquam aut fundamentum proportionis ad ens reale ac positivum habere, sed tantum ad modum habentis proportionem aliquam ad ens reale ac positivum ab intellectu cogitari afferendum erit. Vocatur porrò ens rationis ratiocinantis, ut contra distinguantur enti rationis ratiocinatis, quod in re ipso habet aliquod fundamentum, licet à ratione habeat complementum, at ens rationis ratiocinantis nullib[us] in re fundamentum substernit, sed unicē intellectum pro lubitu jocantem quasi ac ratiocinantem, causam efficientem, non tamen in rigore sic dictam, agnoscit. Ens rationis dicitur, quoniam à ratione, non a. voluntate, vel sensu vel lingua vel aliunde dependet. Est a. ens rationis, non subiectivē, ita enim realiter ut qualitas aut accidens aliquod intellectui inharrere deberet, neque effectivē, ita enim per efficientiam realem entitatē terminatam ab intellectu producendum esset aut astu produceretur, neque objectivē hoc modo, quo omne ens reale vel in intellectu vel extra eum existens refertur ad intellectum vel per modum cogniti vel cognoscibilis sed est ac dicitur ens rationis objective tantum, quod habet esse in intellectu tantummodo objectivum, entitativum verō ac reale nullib[us] habet, adeoque revera nihil est, cum objiciatur tantum intellectui, & ab eodem apprehendatur, sub conceptu quodam rem nullib[us] existentem representante. Unde porro patet, male ac insufficienter ens rationis ratiocinantis describere Hervizum quod lib: 3. q. 30 & Occamum part: 1. Log: cap. 4. quando dicunt: Ens rationis fictum esse, quod est in ratione, cum multa sint in ratione, quæ tamen non entia rationis facta, sed realia sunt, ac esse reale obtinent, qua propter addimus, quod est in intellectu seu ratione

None tantum objective, ubi confundi tamen non debet conceptus entis rationis ratiocinantis, objectivus cū conceptu ejusdem formalis. Conceptum ejus formalem realem esse concedimus quia est forma aliqua realis ac positiva intellectui inherens, at secundum hunc ens rationis ratiocinantis non consideratur, sed secundum conceptum objectivum, vel quatenus objectum ipsum esse statuitur. Nervosè admodum ac ingeniosè hanc rem explicat Suarez Disp. 54. sect: 2. dist: 3. Talis causa inquit, (videlicet intellectus) per talēm efficientiam aliquid operatur ut verbigratiā talēm cogitationem vel fictionem que in ipso intellectu aliquid reale est: Tota verē efficientia, ut ad terminum talis productionis terminatur ad formalem conceptum ipsius mentis. & ibi se sistit: Inde tamen fit, ut illemet conceptus formalis terminetur allquomodo ad objectum ad ipsum ens rationis quod cogitatur aut singitur: Atque ita tandem IPSUMENS RATIONIS habet ESSE OBJECTIVUM in intellectu.

### PROBLEMA TERTIUM

Ens rationis ratiocinantis, neque substantia neque accidentis est

Substantia finitur ens per se subsistens, sustinens accidentia, & accidentis ens dicitur nō subsistens, sed inhaerens substantie, candeq; extraessentialiter accidentis. Primariò ergo ac principaliter ens substantia, secundario vero ac per analogiā accidentis appellatur, verē nihilominus ac proprie cū analogia attributionis intrinsecè hic mittit, quæ non negat rei veritatem in objecto participate, multò minus aliquā infert improprietatem. Cum verē igitur substantia, verē etiam accidentis ens sit, adeoque utrumque entitate suā propriā atque existentiā gaudeat, at vero ens rationis ratiocinantis extraintellectū nūpiam existat, & tantummodo figuratum intellectus sit omni entitate, carens proferea à negatione & esse in conceptu confuso ac praeceps spectati ad negationem & esse distincti certi ac determinati, sive &esse talis vel talis, concludere omnino licebit, quodcumque enim esse simpliciter non habet, id neq; tale vel tale esse habebit, neque habere poterit, at ens rationis ratiocinantis

ratiocinantis ~~to~~ esse simpliciter non habet, ergo neque tale vel  
tale esse, hoc est, vel substantiale vel accidentale habebit, & per  
consequens neque substantia neque accidens erit. Cum de con-  
ceptra ratione quidditativa substantia vel accidentis intrinsecè  
non participet. Quando ens rationis ratiocinantis figmentum  
dicitur, intellectus, id non est extendendum ad efficientiam  
aliquam realē, ita ut ens rationis ratiocinantis quatenus tale sit effec-  
tus intellectus propriè dictus talis quippe effectus entitate gau-  
dere debet figmentum ergo intellectus dicitur ens rationis rati-  
ocinantis non quatenus in intellectu realitate quadam præditum  
haret sed quatenus intellectui obijicimus id, quod revera non est.  
Nullo modo igitur subsistit aut vere inexsistit ens rationis ratioci-  
nantis, quatenus revera ens rationis factum est, scilicet quoad  
conceptum objectivum, vel prout menti objicitur, atque ideo  
neque substantia neque accidens est, sed tantum iuxta modum  
substantiae vel accidentis fingitur atque concipitur.

#### PROBLEMA QUARTUM

*Ad essentiam (ut ita loquar) entis rationis ratioci-  
nantis non requiritur possibilitas aut impossi-  
bilitas existentia actualis sed sufficit actua-  
lis non existentia à parte rei*

De Ente rationis ratiocinantis diximus, quod habeat ef-  
fe objective tantum in intellectu id est quod esse illud concepibili-  
le ac fictitiū in se non habeat actualiter extrā intellectum quodq;  
illud esse ex parte objecti cognitioni non respondeat, secundum  
veram existentiam, alias illud objective tantum in intellectu ef-  
fe asseverari non posset. Ut igitur aliquid sit ac dici possit ens ra-  
tionis ratiocinantis necessario reqviritur, actualis non existentia à  
parte rei, cum entitatis ipsius objecti, quod in intellectu objecti-  
ve tantum datur, tum prædicandi formalitatis, seu illius, quod  
de eodem enunciatur, seu eidem, ae si vere id ipsum habeat, at-  
tribuitur. Ita ut sublata illa actuali non existentia a parte rei, po-  
sitaque actuali à parte rei existentiā tollatur quoque ens rationis  
ratiocinantis, & posita actuali non existentia à parte rei, sublata

verò

verò actuali existentiā à parte rei, ponatur in intellectu ratioci-  
nante ipsum ens rationis ratiocinantis. Verum enim verò quod  
attinet possibilitatem aut impossibilitatem existentiæ actualis il-  
lam dicimus non requiri ad esse entis rationis ratiocinantis. Pos-  
sibilitatem existentiæ actualis, dicuntur habere illa entia ratio-  
nis ratiocinantis, qvę quidem actu non sunt, & id, quod ipsis ab  
intellectu attribuitur, actu à parte rei non habent, nihilominus  
tamen illud actu habere & ipsa à parte rei esse possunt, seu non  
repugnat, ut actu à parte rei & ipsa existant, & vere, actualiter  
detur id quod dari in ipsis concipitur. Ex oppositō verò impossi-  
bilitate existentiæ actualis assignant illis entibus rationis ratioci-  
nantis, quæ & ipsa actu à parte rei nō sūt, sed esse tantum singun-  
tur ab intellectu, & illud quod ipsis tribuitur ab intellectu actualiter,  
à parte rei non habent sed per fictionem mentis & præterea  
quoque simplex repugnantia illius existentiæ datur seu nullo mo-  
do fieri potest, ut & ipsa à parte rei sub ratiōnaliitate sub qua con-  
cipiuntur, existant illaque predicata ab intellectu ipsis attri-  
buta actualiter à parte rei possideant. Exemplis res tota claresceret.  
Detur verbi causa paries albus, huic parieti si intellectus assignet  
nigredinem, cum tamen non nigredine sed albedine tinctus pa-  
ries sit, fiet ens rationis ratiocinantis esse tantum objectivum in  
intellectu habens, hac propositio, Hic paries est niger, sed quæ-  
ritur quale ens rationis ratiocinantis, an tale quod impossibilita-  
tem à parte rei ita essendi inferat, an vero tale, quod possibili-  
tatem supponat? sane tale quod à parte rei existere ita pot-  
est, nam ille ipse paries qui albus jam est, potest aliō tem-  
pore nigredine tingi, adeoque tum niger existere, ni-  
hilominus tamen in hac propositione datur verum ens rationis  
ratiocinantis, quia ille ipse paries actu à parte rei niger non ex-  
stit, sed albus, licet possibile sit, ut niger existat. Simili modo  
hęc propositio. Homo est brutum, est ens rationis ratiocinant-  
is verum non prioris sed posterioris generis, tale scilicet quod  
possibilitatem existentiæ actualis seu hoc modo à parte rei es-  
sendi excludit, & contra infert impossibilitatem à parte rei ita  
existendi, simpliciter enim impossibile est, ut homo sit aut  
brutum. Sed tantum concipitur ac singitur esse brutum ab intel-  
lectu & per illam fictionem datur ens rationis ratiocinantis. Con-  
cludimus

Eludimus jam quod neutra harum sive possiblitas sive impossibilias existentiae actualis faciat aliquid; seu necessario requiratur ad ens rationis ratiocinantis sed sufficiat, sola actualis non existentia à parte rei, sive illa postea possibilis sive impossibilis sit, actualis autem non existentia à parte rei simpliciter ac necessario requiritur, sine hác ens rationis ratiocinantis non dabitur, quin potius illud, quod hác ipsa destituitur ens reale erit. Uno verbo potest aliquid esse aut dici ens rationis ratiocinantis si esse tantum in intellectu objectivum habeat, atque actu à parte rei non existat, sive postea à parte rei existere possit, sive simpliciter non possit, adeoque & illud quod potest existere aparte rei modo actu non existat, erit verum ens rationis ratiocinantis, & simul illud, quod non potest existere à parte rei, modo etiam actu non existat erit verum ens rationis ratiocinantis. Eruditè ac nervosè hác de re loquitur Mendoza Disp. 19. Met. abp: de ente rationis: sect. 1. q. 14. pag. 6. 23. Ad efformandum ens rationis, inquit non requiritur ut objectū actū sit possibile aut impossibile; sed requiritur, ut objectū non sit, sicut representatur per actū, quia in eo solo casu habet esse tantum objectivum in intellectu v. g. Petro non currente ego affirmo Petrus currit: Existentia exercita Petrinon habet esse nisi objective in intellectu meo: Quia licet habeat esse possibile id tamen non representatur per illum actū, sed solum esse actuale: ut actuale Actualitas autem illa solum est in meo intellectu. Mendozam hác in parte reprehendit. Stalua in compend: Metaph. cap. 2. p. 14. afferens: Non sufficere ut aliquid sit ens rationis, quod actu non sit sicut concepitur, sed requiri ut insuper sic impossibile, id est ut non possit esse. Adeoque impossibilitatem existentiae actualis necessario ad ens rationis ratiocinantis requiri putat. Probationis loco tale nescit argumentum Quod est ens reale, non est ens rationis sed quicquid potest esse, in rerum naturā est ens reale. E. Quod potest esse in rerum naturā, non est ens rationis, & per consequens ut aliquid sit ens rationis requiritur, ut sit impossibile. Verum minor propositio hujus argumenti Staliani est falsissima: Ens enim in potentia potest esse. Ergone est aliquid reale & actu existens, statigitur firmum & inconcussum, ad ens rationis ratiocinantis non requiri possibilitatem aut impossibilitatem existentiae actualis.

### PROBLEMA

### PROBLEMA QUINTUM.

*Ens rationis ratiocinantis à singulis tribus intellectus operationibus apprehenditur arg. in iisdem efformatur.*

Una equidem datur generalis intellectus operatio quę intellectio vocatur illa ipsa, vero intellectio in specie ipsa variat, interdum enim solā apprehensione, interdum compositione ac divisione, interdum discursu peragitur. Atque hinc triplex passim statnuntur intellectus esse operatio. Prima est apprehensione simplicium rationis Τύπων, illa scilicet intellectus actio, quae singulas apprehendimus, seu notiones rerum simplicium & incomplexarum cognoscimus, absque complexione seu affirmatione ac negatione, uide & ipse intellectus in illa apprehensione notionum harum simplicium occupatus, simplex vocatur. Altera intellectus operatio est compositione & divisione, οὐργεῖσι διασπειστύποντα, estique ea actio intellectus nostri, qua unum de altero, vel affirmamus, vel negamus, seu qua ipsa notiones vel affirmando vel negando concipimus ac pensamus atque hinc ipse intellectus in illa compositione ac divisione seu affirmatione & negatione occupatus nāticus appellatur, Tertiamentis operatio ratiocinatio seu discursus λογικῶν στάσεων, estq; ea actio intellectus nostri, quā discursivee ac reflexive unū ex alio deducit, & ē modo ignotū colligit atq; eruit, seu qua ex præmissis format conclusionem, adeoque totum integrumque syllogismum necit ac producit. Atque hinc ipse intellectus propter hanc operationem discursivam & syllogisticā Dianceticus & discursivus dicitur? Ab his igitur tribus intellectus operationibus singulis apprehensione nempe judicio ac discursu ens rationis ratiocinantis apprehendi, in iisdem efformari, & existere ascriimus. Apprehensionem simplicium, primam intellectus operationem quod spectat, per eam efformari, inque illā dari ens rationis ratiocinantis probam, facile. Potest intellectus per apprehensionē in complexam apprehendere terminum simplicem chinasticum, seu formaliter concipere subiectum aut prædicatum aliquod, quod non habet esse à

esse à parte rei, sed solum in intellectu idque realiter non existens erit hæc ratione ens rationis ratiocinantis. Quando enim intellectus apprehendit chimoram ut unum aliquid suppositum, tum apprehensio incomplexa datur, nihil enim intellectus de chimera affirmat aut negat, format etiam ens rationis ratiocinantis per illam operationem quia illa chimera concepta nullibi realiter existit, sed objectivè in intellectu tantum modo datur. Quod attinet secundam mentis operationem compositionem ac divisionem seu affirmationem & negationem in ea & per eam quoque intellectus efformat ens rationis ratiocinantis, quando scilicet ex termino aliquo simplici & incomplexo integrum propositionem chimericam affirmativam vel negativam deducit atque concipit v. g. *Chimera est animal. Hic homo vivus non est rationalis* &c. Haec enim sunt integræ propositiones subjecto, prædicto atque copula constantes, per solā intellectus fictionem, sine nullo aliquo fundamento extra intellectum reperto, & per consequens etiam pertinent ad entia rationis ratiocinantis. Denique intellectus in & per tertiam atque ultimam operationem discursum scilicet efformat ens rationis ratiocinantis, quando videlicet ex terminis atque præmissis chimericis sive fictis conclusionem etiam fictam atque chimericam elicit, atque hæc ratione discurrendo Chimericè totum argumentum seu integrum syllogismum chimericum fabricat. Ut e. g. Quod est chimera, illud est animal. At qui id quod est ante leo, retroque Draco, & in medio aspella est chimera. E. est animal. Quia totus hic syllogismus in re nullibi fundamentum habet sed tantum modo in intellectu singente ac ratiocinante objectivè existit, propterea in integrè ille syllogismus pertinet ad entia rationis ratiocinantis, est que in & per tertiam intellectus operationem fabricatus.

**Δέξα θεώντι τὸν οὐρανόν.**

I Njurius & in se suosque est, qui scopum  
Finemq; studiorum insuper habet, & suos  
Lactare non veretur Parentes optimos  
Spe vanâ inanig;, immemor Dei & sui  
Statûs; Sapit verò sua faciens pius  
Sapientiorque, qua sua si que ardui  
Sunt muneris, gratus Deo ac Parentibus.  
Civibus placere quam labores strenue  
Hac disputatione, mi SCHMIDI, probas;  
ac laude dignus singulis Te comprobas.  
Hac laude matte & perge nova parentibus  
Tuis creare semper & mihi gaudia.  
Sic gratus ipsis, sic Deo dilectus es;  
Sic quoq; tuos nissus manebunt pramiae.

Quod ominabatur Prestantiss. Dn.  
Resp. Amico ac Commensali  
suo dilecto

*Constantinus Ziegra/ S.S.Theol.  
Lic.Phyſ.P.P. & h.t. Deca-  
nus.*

**R**erum sacrarum qui negotia intendit,  
Et largiores impetrare successus  
Desiderat, fundamen ille sub sternit,  
Sophia ergo cultu preparat suam mentem.  
Recte sapit Schmaldi, colende concivis,

Quod

*Quod Tu Sophorum Scita docta rimaris,  
Rationis Entis ima ponderans sensa,  
Sic signa das felicioris Eventus,  
Nostram facis spe Patriam frui latâ.  
Dei ad verendajussa semitam pandens.  
His grator ausis, intimâ precans mente  
Multos ut olim Ecclesia feras fructus!*

Sympatriotæ suo  
dilecto f.

Christianus Trentschius,  
Prof. Publ.

**Rondeau**

*D*er Zugend Lohn muß sein für dein beginnen/  
Du werther Freund der dreymahl drey Göttern/  
  
Dass Dir beliebt / iest Deinen späten schweß  
Der NachWelt kunt zu machen/ Deinen Fleiß  
Läßt unbegrab'n/ läßt hören Deine Sinnen  
Die Dir geschärft die klugen Pierinnen /  
Damit Du iest mit freuden kanst gewinnen  
Den Lorberen Krantz/ so ein sehr schön beweß  
**Der Zugend Lohn.**

Die Zeit ist da/dass Dir die Parnassinnen  
Für Deine müh' ein schönen Kranze spinnen

Umb

*Umb deine Haar/ so als ein Sieges preiß  
Dich macht berühmt/ als den Du glänzent weiß  
Geniesen kanst/ ohn Neidhart sein besinnen/  
Der Zugend Lohn.*

Dieses schete wohlmeinend auff

**M. HENRICUS Holtzcan/**  
von Lübeck.

*E*ntra scita entis sunt nomina nuda realis,  
Sunt umbræ: Rerum sunt simulacra: Nihil!  
Hæc mecum, SCHMIDI, perpendens, jure mereris  
Præmia, quæ doctis docta Minerva parat.

*Ita Praestantisimo atq; doctissimo DN. Re-  
spondenti de egregio specimine ölo-  
air Xws gratulatur*

**P R A E S E S.**

**Rondeau.**

*D*ie Arbeit bringet lohn/ in dem DU uns wilt sagen  
Was die Vernunft vermag/ gedenkt st DU zu erja-  
gen/  
Die Dir der Musen Schaar bereitet/ eine Krohn.  
Die Arbeit bringet Lohn.  
Die Arbeit bringet preis; Dadurch wirst DU ersteigen  
Der Musen hohes Schlos/ es müßt sich für dir neigen

Des

Des Pöbels-Nichtig-Schaar; fahr' fort/denn Satz=  
ren Schweiß Die Arbeit bringet preis.  
Die Arbeit bringet Kunst. Es müsse dir gelüftken /  
Das Du/O Werther Freund/und dein Nahm/ möge  
rükken  
bis an der Sternen Haus! Fahr' fort/und liebekunst/  
Die Arbeit bringet Kunst.

3.102

Seinem Brüderlichem-Freunde  
allezt auch auf zu sezzete dieses

Christian Brämer/aus  
Lübeck.

